



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

30. Pax Charitatis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

II. *Pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis; redde mihi letitiam salutaris tui; ut qua spondes, diligenda percipiam.* S. Aug. Med. c. 2.

III. *Tadeat me gaudere sine Te; & delectet contristari pro Te. Sit mihi Nomen tuum refocillatio; & memoria Tuus consolatio* S. Aug. Med. c. 7.

P A S S U S XXX.

Pax Charitatis.

T E X T U S.

Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Joan. c. 14. 27.

Cognitio.

PA^X est concordantium in bono animorum, ordinata tranquillitas. Estque triplex, cum DEO, cum proximo, cum seipso. Pax cum Deo consistit in perfecta voluntatis humanæ cum Divina, consensione. Pax cum proximo, in tranquilla hominum inter se conversatione & cohabitatione. Pax cum seipso, in omnimoda vitiorum & passionum subjugatione.

Actus:

Actus:

1. Voluntati Dei se subdicere ; peccata vitare , in prosperis & adversis voluntati Divinæ acquiescere.
2. In rebus bonis , idem cum aliis sapere, dicere , judicare ; & in cibo , potu, veste, aliisque, se conformare.
3. Nulli ; quærelæ aut turbationis ansam dare , carnem legi Dei repugnantem subdicere ; sensus , membra , interiora & exteriora secundum rationem disponere.
4. Cogitationes , affectiones , voluntates, secundum virtutem moderari , seipsum considerare, alios relinquere, propriam voluntatem , spiritum libertatis & placendi desiderium evellere.
5. Zizania , quæ absque tritici damno eradicari nequeunt , usque ad tempus messis patienter tolerare : quædam bona , non præcepta , ad cavendum aliorum scandalum, ad tempus omittere.
6. Ne ab aliorum dictis, factisque pax nostra pendeat , diligenter cavere.

Dilectio.

Cùm Salvator noster pacificos pronuntiet beatos , Deique filios ; quis pacem non quærat & sectetur cum omnibus ? Quis

M ;

pacem

pacem non amet & colat, si fructus dulcissimos consideret ac degustet? Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est, quæ similtates tollit, bella compescit, iram comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari: hanc qui acceperit, teneat: qui perdiderit, reperat, qui amiserit, exquirat. S. Aug. de Verb. Domini.

Petitio.

Domine JESU, Princeps pacis, qui toties discipulis tuis pacem apprecatus es, dicens: Pax vobis; Dona nobis hanc pacem, pacem cum Deo, pacem cum proximo, pacem cum nobis ipsis. Et pax, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda & intelligentias nostras. Amen.

Aspirationes.

I. Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. 2. Corinth. 13. 11.

II. O quàm bonum & iucundum, habitare fratres in unum; in unum cor, in unam animam; multa quidem corpora, sed non multa corda! S. Aug. in Psal. 132.

III. Pax Domini sit semper nobiscum!